

§. 5.

Quantum ad Potentiam Resistivam: distinguendum inter Potentiam resistivam formaliter, & radicaliter talem: quarum illius nomine intelligunt meram rei impotentiam ad aliquid recipiendum; istius autem, veram istiusmodi agendi vim, quæ quid vires alterius imminuit, aut imminuere potest. Nec enim nisi prior harum supra nobis ab activa potentia, sub improprie dictæ nomine, secernebatur. Quæ etsi ex dictis sit manifestum, unde potentia resistivæ habeat appellationem: difficile tamen dictu, unde resistivæ formaliter talis, nisi quod alius terminus vix suppetat, quo discrimen potentia, valde alioqui notabile, insinuetur.

§. 6.

Sed de Activa potentia nemo ambigit, quin realis ac proprie dicta sit. Est enim vera realisque agendi vis, seu facultas, vel idem realiter cum essentia subjecti, vel, si distincta realiter, ipsi accidentis instar superaddita, atque inhærens. Quæ in Infinitam, & Finitam recte alias distinguitur.

§. 7.

Est nempe Infinita potentia, quæ agens quidvis

A 3

quo-